



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Solvuntur argumenta ex autoritate SS. Patrum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

nec solum a Deo impetrat ejus absolutionem, sed A
authoritate Christi sibi commissâ, verè instru-
mentaliter eum absoluit, & gratiam remissivam
peccatorum divinæ virtutis instrumentum, phy-
sicè ei confert, & producit in anima ejus. Unde
D. Thomas infra quæst. 84. art. 3. *Solus Deus*
per authoritatem, & à peccato absoluit, & pecca-
tum remittit; Sacerdotes tamen utrumque faciunt
per ministerium, in quantum scilicet verba sacerdotis
in hoc sacramento instrumentaliter operantur in vir-
tute divina; unde & Dominus expressit utramque,
novo Matth. 16 dixit Petro, quodcumque solveris su-
per terram &c. Et Joan. 20. dixit Discipulis suis,
Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et in
resp. ad 4. ait quod Apostolis non est data potestas,
nisi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem
infirmi sanarentur: est autem eis collata potestas
operandi instrumentaliter sive ministerialiter in sa-
cramentis, & ideo magis possunt in formis sacramen-
torum exprimere actum suum, quam in sanationibus
infirmorum.

Quarta ratio: In eodem genere causæ sacra-
menta concurrunt ad gratiæ productionem, quo
humanitas Christi: Sed humanitas Christi ad
gratiæ productionem physicè concurrat: Ergo
& sacramenta, Minor fuscè probata fuit in Tra-
ctatu de Incarnatione, & manifestè docetur à S.
Thoma locis §. præcedenti adductis. Major verò
suadet: Tum quia vel sacramenta novæ legis
ipsum Christum realiter in se continent, ut sa-
cramentum Eucharistiæ, vel reputantur quasi
actiones ipsius, ut alia sacramenta, quæ consti-
tuntur in usu, verba enim profertur à ministris
in persona Christi. Tum etiam, quia sicut huma-
nitas est instrumentum conjunctum divinitatis,
ita sacramenta sunt ejusdem instrumenta separa-
ta, ideoque Concilia, Patres, & ipsa Sacra Scri-
ptura, eodem modo loquuntur de sacramento
rum & humanitatis Christi causalitate. Unde
D. Thomas quod lib. 12. art. 15. *Sicut caro Christi*
habuit virtutem instrumentalem ad faciendam mi-
racula, propter conjunctionem ad Verbum, ita sacra-
menta per continuationem ad Christum crucifixum
& passum.

Quinta ratio: Admittendus est in sacramentis
novæ legis modus producendi gratiam instru-
mentaliter physicè, si ille sit possibilis, & si non re-
pugnet aliquid corporeum, quale est sacramen-
tum, ad productionem rei spiritualis, qualis est
gratia sanctificans, elevati: Sed in hoc nulla est
implicancia: Ergo id de facto ita esse asserendum
est. Major patet, Tum quia id valde decet hu-
manitatem Christi, & ejus sacramenta; cum mo-
dus ille producendi gratiam, & sanctificandi ho-
mines, nobilissimus, & præstantissimus sit, & di-
gnitatem sacramentorum novæ legis supra sacra-
menta vetera, manifestè declarat. Tum etiam,
quia hic modus causalitatis ostendit, quanto
amore Deus dilgat & optet nostram sanctifica-
tionem, qui continua veluti miracula voluit ope-
rari, ut nos sanctificaret, elevando res corporeas
ad producendam in nobis rem a deo excellentem,
qualis est gratia sanctificans. Addo quod, juxta
hunc modum dicendi, melius & cum majori
proprietary intelliguntur & explicantur loca Scri-
pturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, asserentium
sacramenta novæ legis homines sanctificare,
mundare, regenerare &c. ut ex supra dictis
patet.

Minor verò, in qua est difficultas, probatur pri-
mò ratione quam innuit S. Doctor infra qu. 75.
Tom. V.

art. 4. Deus cum sit rerum omnium dominus, &
ejus actio se extendat ad totam naturam creaturæ
creabilis, eiq; ad nutum omnia obediant, quamlibet
creaturam potest assumere ut instrumentum phy-
sicum ad producendum quicquid est in potentia
saltem obedientialiter alterius creaturæ: Sed gratia
sanctificans continetur in potentia obedientiali
animæ, cum ex ea educatur: Ergo potest Deus ele-
vare quamlibet creaturam, etiam corpoream, ad
producendam instrumentaliter physicè gratiam
sanctificantem in anima.

Secundò eadem Minor suadet: Intellectus
agens elevat phantasma corporeum, ut instrumen-
taliter causet species intelligibiles spirituales in in-
tellectu recipientes, ut Vazquez & plures alii ex
Adversariis fatentur: Ergo à fortiori Deus qui est
agens infinitæ virtutis, potest elevare aquam, &
voces sensibiles & corporeas, ut physicè gratiam
spiritualem & supernaturalem causet instrumen-
taliter in anima.

Tertiò, Ignis inferni est corporeus, & tamen à
Deo ut instrumentum physicum assumitur ad alli-
gandas substantias purè spirituales, quales sunt
dæmones, & animæ damnatorum, & virtute divi-
nâ dolorem & tristitiam in ipsis causat, torquetq;
miris, sed veris modis, ut supra ex Augustino dice-
bamus, & in Tractatu de Angelis fuscè ostensum Dispt.
est: Ergo pariter potest Deus elevare sacramenta, art. 2.
ad producendam instrumentaliter physicè grati-
am sanctificantem in anima, ut magis patebit ex
dicendis articulo sequenti, ubi diluentur omnia
argumenta quibus Adversarii conantur ostendere
aliquid corporeum non posse divinâ virtute ad
producendam gratiam elevari.

ARTICULUS III.

Convelluntur fundamenta adversæ sententiæ.

Pura contra physicam sacramentorum novæ
legis efficientiam proponi solent argumenta,
quorum aliqua ex authoritate, alia ex ratione pe-
tuntur: quæ sunt primi generis, §. 1. diluentur, alia
verò in sequentibus.

§. I.

Solvuntur argumenta ex authoritate SS. Patrum.

Objiciunt in primis Adversarii quædam Pa-
trum testimonia, quibus physicam nostris
sacramentis videntur denegare causalitatem; ait
enim Author sermonis de Baptismo apud Cypria-
num, *Remissio peccatorum, sive per Baptismum, sive*
per alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti
est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.
Hieronymus in cap. 4. *Matthæ: Ex hoc (inquit) disci-*
mus quod homo solum aquam tribuat, Deus autem
Spiritum Sanctum. Similiter Augustinus 15. de
Trinit. cap. 26. de Discipulis Christi ait, *Orabant ut*
veniret Spiritus Sanctus in eos, quibus manus impo-
nebant, non ipsi eum dabant.

Respondeo primò, quod si authoritates illæ
convincerent, probarent sacramenta novæ legis
non conferre gratiam ex opere operato, nec phy-
sicè, nec moraliter, ut patet illas ponderanti, unde
illæ ab Adversariis explicandæ sunt.

Respondeo secundo, Patres in quibus hæc & si-
miles locutiones inveniuntur, solum velle quod
Deus sit principalis author gratiæ, & quod ho-

homines vel elementa, ex se non habent vim dandi illam, non tamen negare quod ex communicatione virtutis Dei, & subordinatione ad eam, etiam homines, & sacramenta, possint instrumentaliter causare gratiam. Unde S. Thomas quæst. 5. de verit. art. 8. ad 1. ait, quod dictio exclusiva non excludit ab operatione instrumentum, sed aliud principale agens, ut si dicatur sic, faber cultellum facit, non excluditur operatio martelli, sed alterius fabri. Ita etiam quod dicitur quod DEUS per se mundum gubernat (juxta illud Gregorii libro 34. Moral. cap. 26. Mundum quippe per semetipsum regit, quem per seipsum fabricatus est) non excludit operationem inferiorum causarum, quibus quasi instrumentis Deus agit, sed excluditur regimen alterius principaliter agentis.

69. Obijciunt secundò: Hieronymus super caput 16. Matthæi comparans sacerdotes novæ legis sacerdotibus veteris, subdit: *Quomodo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & his alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter.* At sacerdos veteris legis non erat causa leprosum, efficiens mundans à lepra corporis: Ergo neque sacerdos legis novæ, efficiens mundans peccatorem à lepra peccati.

70. Hoc etiam argumentum ab Adversariis solvendum est, cum illi doceant sacerdotes novæ legis, in genere saltem causæ efficientis moralis, ad mundandum peccatorem à lepra peccati concurrere, cum tamen sacerdotes veteris legis, nullatenus à lepra corporis mundare possent, sed duntaxat lepram à non lepra discernere. Hoc præmissis.

Respondendo, Hieronymum eo loco non negare quod Episcopi & Presbyteri veram habeant solvendi à peccatis potestatem (hoc enim de fide certum est) sed inveni solùm adversus aliquos Episcopos & Presbyteros, qui verba illa Christi ad Petrum: *Tibi dabo claves regni calorum, & quodcumque ligaveris &c.* non rectè intelligentes, se posse vel damnare innocentes, vel solvere noxios, exultabant, ut pateret locum illum integrum perlegenti, verba enim S. Doctoris hæc sunt: *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita queratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundificant; non quod sacerdotes leproso faciant & immundos, sed quod habeant notitiam leprosi, & possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo sibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & alligat vel solvit Episcopus & Presbyter; non eos qui insonites sunt vel noxii, pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

71. Obijciunt tertio: D. Thomas hic art. 4. ad 1. virtutem instrumentalem quæ est in sacramentis novæ legis ad causandam gratiam, comparat virtuti spiritali seu intentionali, quæ est in voce ad excitandum intellectum audientis in conceptum ultimum rei significatæ: Quis autem dicat (inquit Vazquez) virtutem vocum ad excitandum intellectum esse physici instrumenti, & non moralis? Siquidem significatio nihil est reale in vocibus. Item in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. in corp. dicit Deum uti sacramentis, quasi quibusdam instrumentis justificationis. Et

A ad 2. sacramenta esse causas gratiæ, quasi instrumentaliter. Quibus in locis particula illa quæ tribuere sacramentis rationem instrumenti simpliciter dicti, quale est instrumentum physicon, sed instrumenti secundum quid, quale est instrumentum morale. Deinde idem S. Doctor hic art. 5. docet virtutem in sacramenta derivari à humanitate Christi, mediâ passionis: Sed passio Christi non est causa physica, sed solum modus nostræ justificationis, nam cum agere precepta, non potest esse causa physica: passio autem Christi jam transiit, neque unquam amplius erit, juxta illud Apostoli ad Romanos 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, nec illi ultra non dominabitur &c.* Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, sacramenta novæ legis non sunt instrumenta physica, sed solum moralia, gratiæ sanctificantis.

Respondendo quoad primum locum, negando quod virtus vocum ad excitandum intellectum, non sit virtus physici instrumenti; licet enim in voce significativa, ipsa ejus significatio non sit physica, nec realis, sed relatio aliqua rationis, ex passiva impositione vocis confurgens, virtus tamen quam habet ad immitendum species suas in sensum auditoris, & per eas conceptionem loquentis in alterius mentem transmittendi, realis est, & physica, atque adeo virtus instrumenti physici, ut docet Capreolus in 4. dist. 1. quæst. 1. ad quintum Scoti contra quartam, & variis D. Thomæ testimoniis ostendit; idque S. Doctor manifestè indicat in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstione 2. ad 4. ubi fusiùs explicans doctrinam quam tradidit hic art. 4. ad 1. licet ait: *In re corporali non potest esse virtus secundum esse completum, potest tamen ibi esse per modum intentionis, sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis, & sermo audibilis existens causa dispositionis* (ut dicitur in 1. de generatione animalium cap. 20. circa finem). Ubi D. Thomam loqui de instrumentis physicis, evidentissimum est, nam instrumenta mota ab artifice, instrumenta physica sunt, ut: curis, dolabra, ferra; & virtus substantiæ separata, quæ agit ad generationem viventium, virtus physica est, & similiter virtus feminis, est virtus instrumentalis physica.

Ad secundum locum dico particulam quæstionis esse semper similitudinis notam, & diminutivam, sed expressionis, & confirmationis, ut cum de Rege ornatu & pompâ regiâ incedente dicitur: *incedit quasi Rex*, id est tanquam Rex. Et Scriptura Ioan. 1. dicit de Christo, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Ad eum ergo modum dixit D. Thomas, sacramenta esse causas gratiæ, quasi instrumentales; id est, tanquam vera, instrumenta gratiæ.

Ad tertium nego Minorem, & ad probationem ei subjunctam dico, quod licet passio & mors Christi jam transierint in actu, & in ratione motus, aut actionis, manent tamen virtute in effectu suo, videlicet in stigmaribus gloriosis corporis Christi, seu in humanitate quæ effectus fuit passionis & mortis; & quia hæc humanitas sic affecta, modò & in æternum manet, idem modò & in æternum consummare potest salutem.

Efficitur virtute sua effectiva. Ita colligitur ex D. Thoma supra quæst. 56, art. 1. ad 3. Ubi sic ait: Resurrectio Christi est causa efficiens & exemplaris nostre resurrectionis: efficiens quidem, inquantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, & operatur in virtute ejus; & ideo sicut alia quæ Christi in sua humanitate fecit, vel passus est, virtute divina sunt nobis salutaria, ita & resurrectio ejus. Ex quibus verbis apparet, non esse mentem S. Thomæ, quod actio ipsa quæ jam præterit, assumatur ut instrumentum Divinitatis, sed humanitas, quæ secundum actionem illam resuscitata manet & passa est, aut mortua, & ideo Christi passio, & resurrectio, physice ad nostram justificationem & resurrectionem concurrere dicuntur, quia humanitas ejus, ut passa, & resuscitata, ad utrumque physice concurrat.

§. II.

Solvitur primum argumentum ex ratione petiitum, & quomodo sacramenta cum fictione suscepta, recedente fictione, producant gratiam, breviter declaratur.

Præter argumenta ex autoritate, quæ præcedenti diluimus, variis rationibus insurgunt Adversarii in nostram sententiam. Prima licet potest breviter proponi. Baptismus, qui in puncto suæ receptionis gratiam non contulit, propter recipientis obicem, sive fictionem recedente postea fictione, eam confert, ut docent S. Augustinus libro de Baptismo contra Donatistas cap. 12, relatus de consecrat. dist. 4. cap. 41. & S. Thomas infra quæst. 69, art. 10. & cum eo communiter Theologi: Sed tunc eam non causat physice, cum tunc non sit, sed transierit, & quod non est, physice agere nequeat: Ergo solum moraliter.

Nec valet si dicas, quod licet quando recedit fictio, Baptismus non sit in se, remanet tamen in sua virtute, nimirum in charactere, qui tunc a Deo elevatur ad causandam gratiam, quam Baptismus in puncto suæ receptionis debebat producere, si non fuisset positum impedimentum. Non valet, inquam, character enim de se non est instrumentum ad producendam gratiam, ut patet, quando simul character & gratia dantur, tunc enim gratia non datur mediante characterē: Ergo neque quando non datur simul gratia.

Respondet bonam esse responsionem & tradi expressè à D. Thoma in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. quæstione 3. his verbis articulo præcedenti relatis: Ad tertiam questionem dicendum quod in Baptismo imprimatur character qui est immediata causa disponens ad gratiam, & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediēbat, character qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur. Quibus verbis aperte docet, quod quando Baptismus suscipitur cum fictione, recedente fictione, per characterem, ut effectum sacramentalem minus principalem, datur effectus principalis, qui est gratia.

Nec refert, quod quando non fictè suscipitur, gratia non datur mediante characterē; nam tunc sacramentum ipsum influit formaliter, & sic non oportet ponere virtutem influentiam seu mediante virtute à se relicta: quando tamen non

Tom. I.

A adest sacramentum, sufficienter salvatur hæc causalitas physica, mediante virtute aliquâ sacramento relicta, sicut mortuo generante producit proles per virtutem à se relicta in semine.

Hæc solutio & doctrina haud dubiè valde probabilis est, & potest applicari non solum Baptismo, sed etiam aliis sacramentis imprimētibz characterem. Verum adhuc gravis difficultas remanet de aliis sacramentis quæ characterem non imprimunt, quod modo scilicet, recedente fictione, possint physice producere gratiam, cum tunc nec in se nec in sua virtute existant, nihilque ex ipsis relinquatur in quo virtualiter permanere dicantur.

B Respondent aliqui, quod licet sacramenta quæ non imprimunt characterem, neque in se, neque in sua virtute sint, quando tollitur fictio, verè tamen instrumentaliter physice concurrunt ad gratiæ productionem; quia sicut in instrumentis divinæ virtutis non requiritur necessariò præsentia & contactus formalis subiecti in quo producit effectus, eò quod virtus causæ principalis sit intimè in omnibus rebus, & ratione illius instrumenta dicantur virtualiter præsentia & contingentia passum; ita non est necessaria existentia eo tempore quo operantur, eò quod eadem virtus causæ principalis sit formaliter existens in omni temporis differentia, & ratione existentia ipsius, instrumenta quæ assumit sint virtualiter existentia in ea duratione in qua non sunt formaliter.

C Sed hæc solutio & doctrina probabilitate caret, impossibile enim est, ut res non existens nec in se formaliter, nec virtualiter in aliquo suo effectus, possit physice in aliquid influere, sive principaliter: sive etiam instrumentaliter; existentia enim est conditio omnino necessaria ad agendum, quam Deus non potest supplere. Et ratio est, quia sublatâ existentia rei, vel in se, vel in alio, nihil illius actus remanet, ac proinde non est aliquid à quo possit esse actio: unde licet Deus possit multas condiciones supplere, v.g. præsentiam sive approximationem agentis ad passum, quia hujusmodi conditionibus sublatâ, adhuc intelligitur remanere principium à quo procedat actio, non potest tamen supplere existentiam, quia licet non sit actionis principium, ita tamen ab ea dependet principium actionis, ut eâ sublatâ, in nihilum redeat. Et sanè, si hæc opinio esset probabilis, nullâ ratione posset falsitatis convinci, qui vellent sustinere Deum posse assumere tanquam instrumentum physicum res possibiles & futuras; si quidem licet illæ non sint actus, Deus tamen adest formaliter præsens nedum tempori præsentis & præterito, sed etiam futuro, quod plusquam absurdum est.

E Secundo respondent alii, relinqui à sacramento determinationem in voluntate quæ se illi subiecit, recedente fictione, vi talis determinationis sacramentalis, seu ex sacramento relicta, & modificata, restare effectum gratiæ in sacramentis quæ non imprimunt characterem: sicut enim (inquiunt) non est inconveniens remanere virtutem determinationem physicam voluntatis, quæ amavit finem, ut ex ea se determinet ad media; sic nec repugnat voluntatem à sacramento suscepto determinari, & hanc determinationem in ea manere, ut recedente fictione gratiam operetur. Sicut supra dicebamus, quod passio & resurrectio Christi, physice ad nostram

G iij

salu-